



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 14. Vtilissima pecuniæ, per piam vsuram, augendæ ars, dare
pauperibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

Dominum omnes Sancti eius : quoniam non est inopia timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Huc ergo, qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite : venite emite absq; argento.

§. XIV.

Vtilissima pecunia, per piam usuram, augenda ars, dare pauperibus.

Absque argento emit, qui spe & fiducia in Deum emit : absq; argento emit, qui non confidit in multitudine diuitiarum : absq; argento emit ; qui argentum dispergit & dat pauperibus ; nam centuplum accipit, etiam in hac vita. Luculentam rem recenset Ioannes Moscus cognomento Euratus, his verbis : Cum in Samo insula essemus, narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria mater domini Pauli candidati, dicens : cum essem in ciuitate Nisiba : erat ibi Christiana mulier virum habens gentilem. Erant autem pauperes, habebant tamen quinquaginta numismata. Die vero quodam ait vir uxori suae : Demus hac numismata feneratori, ut aliquod solatium ex eis capiamus. Ea enim sigillatim consumimus, & deficiunt. Respondens autem illa bona uxor ait viro, si placet ea fenerari, veni, demus illa sub

H feno-

Psal. 33.

10.

Isa. 55. 1a

Io. Mos-
scus Eur-
atus in
prato spi-
rit. cap.
185.

fanore Deo Christianorum. Dicit ei vir eius. Et ubi est Deus Christianorum, ut demus ei? ait illa: ego tibi ipsum ostendam. Si enim huic dederis ea, non solum non illa perdes, sed & usuras tibi persoluet & capitale duplum reddet. Qui ait: Eamus, ostende mihi illum, & demus ei. Illa vero assumens virum suum, duxit in sanctam Ecclesiam. Habet autem Ecclesia illa quinque magnas ianuas. Cum ergo induxisset illum in Ecclesie porticum, ostendit ei pauperes dicens: istis si praeberis, Deus Christianorum ipsa accipit. Isti enim omnes sui sunt. Qui mox cum gaudio numismata cepit erogare pauperibus. Reuersiq; sunt in domum suam. Cum vero post menses tres necessitate sumptuum angustarentur, ait vir uxori suae: Soror, nihil, ut video, nobis daturus est Deus Christianorum, ex debito illo; & nunc angustamur inopia. Respondit mulier & ait illi: Profecto dabit. Vade, ubi illa dedisti, & exhibebit ea tibi cum omni alacritate.

Quo audito, ille currens abiit in sanctam Ecclesiam. Veniensq; in loco, ubi erogauerat numismata pauperibus, & circuiens totam Ecclesiam neminem vidit, qui sibi debitum redderet, nisi solos pauperes denuo sedentes. Cum ergo cogitaret a se ipso, cui diceret aliquid, aut à

quod exigeret, aspexit, ante pedes suos, in marmore iacere numisma unum de illis, quae pauperibus ipse erogarat, inclinansque se & accipiens illud abiit in domum suam, & ait coniugi suae: Ecce profectus sum in Ecclesiam, & crede mihi, mulier, quia Deum Christianorum non vidi, ut dixisti, nullusque mihi aliquid dedit, nisi quod hoc numisma ibi positum vidi, ubi ego prius erogaueram. Tunc ait ad eum mulier illa mirabilis: Ipse est, qui tibi hoc inuisibiliter praestitit. Ille enim, inuisibili potestate sua, disponit hunc Mundum. Sed vade, Domine mi, eme nobis aliquid, ut comedamus hodie, rursusque ipse providebit nobis. Abiit ille & emit sibi panem & vinum & piscem, & veniens domum dedit uxori. Quae accipiens piscem capit ipsum purgare, exenteransque illum, inuenit in visceribus eius lapidem valde mirabilem, ita ut miraretur mulier illius pulchritudinem. Non tamen sciebat, quid esset. Seruatum autem ostendit reuertenti viro, dicens: Ecce hunc lapidem in pisce reperi. Videns autem & ipse miratus est quidem ipsius pulchritudinem, ignorabat tamen quid esset. Cum autem comedisset, ait uxori: Da mihi lapidem, ut vadam & vendam illum, si quid fortassis pretij de illo accipere contingat. Neque enim, ut dixi, noue-

rat & ipse quid esset, utpote simplex & rudis. Tulit itaque lapidem & abiit ad Trapezitam, cuius erat proprium talia emere & vendere, inuenitq; illum, jam clausis omnibus, egredientem (ad vesperum enim iam dies erat) & ait illi: Vis emere hunc lapidem? ille verò considerans lapidem, dixit ei: Quid vis, ut tibi pro eo solvam? ait autem ille: da quidquid vis. Ad quem ipse: Accipe, inquit, quinq; numismata. Putans autem venditor, quia illuderet sibi, dicit ei: Et quantum vis pro illo persolvere? Existimans Trapezita, quòd ita ille, per ironiam, loqueretur, ait ipsi: Accipe decem, pro eo, numismata. Venditor iterum se irrideri arbitrans, tacuit. Dicit illi Trapezita: Vingtini numismata accipe. Ille autem tacebat nihil respondens. Cùm vero ad triginta, quadraginta, quinquaginta numismata emptor ascenderet, & se daturum ea juramento affirmaret, cœpit ille amplius lapidem aestimare. Paulatim verò emptor ascendens usq; ad trecenta numismata peruenit; deditq; illa vendenti. Ipse igitur, dato lapide, acceptaq; pecunia, venit ad uxorem suam gaudens. Quæ cum videret illum exultantem, dixit: Quanto illum vendidisti? Putabat autem quòd illum quinq; aut decem minutis vendidisset. Tunc ille trecenta

numis-

numismata proferens dedit illa uxori suæ dicens, tanto se illum vendidisse. Illa verò summam diuinæ bonitatis clementiam admirans dixit ei: Ecce *DEVS* Christianorum qualis est, quàm bonus, quàm gratus, quàm diues! Vides quia non solùm quinquaginta numismata tibi reddidit, quæ tu illi mutuasti, sed paucis diebus tibi sexduplicata restituit? Agnosce gitor, quia non est *DEVS* alius, neque in terrâ, neque in cælo, nisi ipse solus. Ille verò miraculo admonitus, cum experimento didicisset & ipse veritatem, effectus repente Christianus, glorificauit Deum & Saluatorem nostrum Christum cum Patre & Spiritu sancto, plurimas referens gratias prudentissimæ uxori suæ, per quam vera Dei notitia ipsi in veritate concessa est.

§. XV.

Vxores quantum viris possint prodesse?

Verè bona vxor magnum est bonum mariti. Hæc docuit virum suum sanctam vsuram; neque solùm dititem fecit, sed etiam Christianum. Utinam haberet multas imitatrices! Aliæ vxores, vt earum superbiam satisfiat, coniuges suos, ad fraudes, ad rapinas, ad mille dolos adigunt; furta eorum occultant, distrahunt, dissipant; neq; conantur bonis artibus ditescere. Enimuero